

Tertium beneficentiæ documentum est, quod forum summum constituit, quod est quidam Arcopagus Livoniæ, nec tantum justitiæ templum, sed etiam pacis officina. Atq; ita ultrò fecit, quod Antalcidas monebat Agesilaum: Oportere Regem legibus opitulari.

Quartum beneficentiæ signum est, quod Consistorium sive sacrum Dicasterium in Livonia aperuit, in quo omnes res ad Ecclesiæ salutem pertinentes, quæ per solum Superintendentem consopiri nequeunt, conficerentur. Quo etiam se conferrent illi, qui in matrimonialibus causis controversias foverent. Hæc omnia sacrum justitiæ amorem spirant, Regemq; nostrum cælo æquant.

Non jam multo verborum ambitu enucleabo (libet enim mihi vela orationis contrahere, non expandere) quanta beneficia apud Rigam patriam meam desideratissimam & Livoniæ metropolin tum in deditioe, tum etiam post posuerit. Intellexit namq; Rex prudentissimus, matre convalescente salvos etiam fore liberos: matre vero compressiore fortuna utente liberos etiam laboraturos. Sic nimirum beneficentiâ à natura ipsi insita, literis aucta, & usu perfecta fuit!

Tandem *clementiâ* Rex noster incomparabilis declaravit plurimis, qui vel Serenissimi Patris ipsius ve etiâ illius majestatem violaverant: eosq; ex humili fortuna in altiorem dignitatis gradum evexit, & singularibus donationibus ornavit. Beneficentiâ enim & clementiâ sunt singulares animo-